DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS CORP,

ANGLUS,

Soc. Reg. Med. Edinb. Socius Extraordinarius.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXII.

15.

GULIELMUS CORP

Viro admodum Reverendo

GULIELMO FOOT,

Briſtolienſi,

S. P. D.

HOC tibi, amabilis ſemperque venerande Praeceptor, opuſculum, exiguum magni quo te proſequor amoris monumentum, conſecrem ſinas. Curam, quam in me admodum juvene ſtudiis liberalibus erudiendo poſuiſti, inſignem, et praecepta, quibus me ad amorem virtutis maturum ſedulus incitaviſti, excellentiſſima, dum memor ipſe mei, nunquam non gratus reminiſcar. Illi, quicquid progreſſus in ſcientia feci, debetur, his, ſi quid fiduciae in me poſthac collocaverit genus humanum, debebitur. Ut prima enim principia feliciter conjuncta ſtabilitatem materiae comparant, ſic doctrina elementaria vim inſitam promovet, rectique cultus pectora roborant.

Quantopere mortalibus cupiam prodeſſe, ſummum ejus, in ſtudio cujus tantum laboris temporiſque conſumpſi, artis momentum, temetipſo judice teſtabitur, et difficultas ejuſdem induſtriam, ſine qua nihil hic profici poteſt, in poſterum langueſcere haudquaquam patietur.

Quantum tibi debeam, probe memini, lubenſque confiteor, et ut omnia tibi bona abunde contingant, virtuteſque, quibus es ornatus, numeroſiſſimas remunerentur ſincerus exopto. VALE.

Dabam Edinburgi,
8vo Calendas Junias 1782.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

OMNIUM est, qui animos ad studium medicinae adjungunt, conjecturalia, quatenus fieri possit, certa efficere, pro virili conari. Hoc, ubi tot fundamento parum stabili innituntur, praestare posse, mihi in primis gratum foret. Caeterum super argumento, quod exequendum suscepi, nihil praeter conjecturas rationales in medium valeo proferre. Hae vero saltem, uti spero, in opusculo, quod sum conscripturus, semet ostendent.

Ratiocinii quidem magnopere indiget medicina ; aliquando enim, causis morborum obscuritate involutis, experientia sola, quidnam factu sit optimum, nequit judicare. Ubicunque igitur deficit experientia, eorum, quae morbos excitant, naturae investigatio, ut in idoneam curandi viam procèdatur, saepe facit. Etenim, Celso judice, naturae rerum contemplatio, quamvis non medicum faciat, aptiorem tamen medicinae reddit.

Contemplatio hujusmodi in natura phthiseos pulmonalis indaganda admodum necessaria esse videtur ; medici enim hoc in morbo parum hactenus auxilii afferre potuerunt.

CAUSÆ REMOTÆ.

Obstructio et inflammatio.—Hi ad phthisin pulmonalem in primis proclives sunt, quibus corpus deforme thoraxve justo angustior.

guſtior. Hic morbus quidem a labe ingenita plerumque oriri ſolet. Hanc autem deſignant forma gracilis, collum longum, ſcapulae in morem alarum eminentes, thorax anguſtus, color decorus, cuticula mollis, genae quaſi verecundo rubore ſuffuſae, dentes albidi pellucidi, tempora cava, proceſſus oſſis ſacri inſigniter prominentes.

Hae notae temperamentum indicant, quod pulmones obſtructioni et inflammationi admodum opportunos efficere ſolet. Ex his autem cauſis duabus, quae proclivitatem ad phthiſin manifeſte faciunt, illa ſaepius adeſſe videtur; namque in cadaveribus phthiſi extinctorum, tumores pulmonum, qui humoribus iter negant, et tubercula appellantur, parvuli plerumque reperiuntur. Quod huic opinioni plus fidei conciliare debet, Boerhaavius et interpres ejus illuſtres pro cauſa phthiſeos remota praecipua obſtructionem habent. Poteſt chylus, inquit Swietenius, non ſatis elaboratus, actione viſcerum primae coctionis, peccare viſciditate nimia, praecipue ſi talia ingeſta fuerint,

rint, in quibus lentum gluten abundat, qualia sunt farinacea non fermentata, juscula meraciora, in primis si ex animalium partibus extremis parata fuerint. Quinetiam Mortonus affirmat, primum stadium phthiseos oriri ex pulmonum infarctione a sero sanguinis inibi copiose secreto; ex tumore renitente, praesertim in partibus pulmonum glandulosis, ab eodem sero partes ipsas nimis distendente, et difficilem exitum trahente.

Obstructionem vero non causis modo comprehensis, sed potius structurae pulmonum, situm per angustum nimis arctae redditae, vel alicui vasorum minimorum constrictioni, tribuendam puto. Multos quidem in annos, nisi diathesis phlogistica oriatur, innocuae manere possunt obstructiones. Hujuscemodi sunt eorum, qui labe ingenita laborant, propriae, quae nonnunquam, aetate adhuc tenerrima, formari solent; sed, donec id vitae, quo summa plenitudo subsit, tempus accedat, vel alia causa diathesin

diathesin phlogisticam moveat, nec inflammantur, nec purulentae evadunt *.

Cullenus, in primis doctus et sagax, in praelectionibus suis, tradit puerum, octo annos habentem, curae suae demandatum esse, cujus pulmones, quanquam non purulenti forent, tuberculis affici credidit, quod mater eo gravida phthisi pulmonali laboraverat.

Rem ita sese aliquando habere, demonstrant incisiones; tubercula enim in pulmonibus mortuorum reperta, qui vivi nunquam phthisi correpti sunt. Hoc autem rarius esse videtur; auctum enim obstructionis tumorem partis progenerare opinor, qui manendo stimulus loco proprius fit, semetipsum in statum purulentum, sine auxilio diathesis phlogisticae, vertere valens. Hinc inflammatio universa locove propria ad

* Cullenus illustrissimus memoriae prodit, phthisin a tuberculis pendentem et haemoptysin eodem vitae tempore, cum maxima nempe in corpore plenitudo dominatur, invadere solere. Sub hoc quidem vitae stadium diathesin phlogisticam maxime vigere compertum habemus.

ad phthiſin excitandam neceſſaria eſſe videtur.

Indoles tuberculorum ſingularis eſſe videtur; namque pus non ei, quod in abſceſſu phlegmones communis reperitur, ſimile, ſed acre progenerant, quod non tantum pulmones, ſed febrim hecticam movendo, totum corpus conſumit. Si igitur tubercula ejus phthiſeos, quae a labe hereditaria proficiſcatur, cauſa ſint, ratio, cur citius ſeriuſve morte finiatur, manifeſta. Cullenus refert acrimoniam forſitan, quae in ulceribus tuberculorum ſe oſtendit, ante tubercula ipſa adeſſe, et ea revera progenerare. Hoc aliquando, ob cauſas poſtea enumerandas, verum eſt; ſed tubercula ab obſtructione ſola, quae morando acrimoniam facit, nonnunquam oriri putamus. Hinc partes, quae diu ſchirro laboraverunt, virus carcinomatis acre progignunt.

Quanquam phthiſis illos, qui ſponte naturae ad eam proclives ſunt, plerumque corripit; alios tamen, forſitan ob cauſas quae tuberculis, abſceſſui, ulceri, ulcuſculiſ-

ve

ve pulmonum ſunt amicae, occupare poteſt. Ex his, in Synopſi ſua Noſologica excellentiſſima, multas recenſendas curavit Cullenus. Quas omnes exequi opuſculi hujuſcemodi brevitas vetat; ſequentes vero, haemoptoe ſcilicet, pneumonia, catarrhus, aſthma, exanthemata, ſcrophula, metaſtaſis puris, ſilentio non praetereundae videntur.

Haemoptoe.—Haec phthiſeos cauſa admodum frequens eſt; cur vero ita accidat, nos magna ex parte latet. Inflammationem loco propriam nimiam faciendo, morbum excitare videtur.

Aliquantum inflammationis ad vas ſanguiferum diſruptum ſanandum neceſſarium eſt, quod inflammatio *adhaeſiva* appellari ſolet. Haec ſaepius limites juſtos egredi, membranas vicinas afficere, et in inflammationem *ſuppurativam* verti, notatur. Hoc, vaſe pulmonum rupto, praeſertim ſi bene amplum ſit, incidere poſſe facile credes, ſi actionem pulmonum nunquam ceſſantem, ſine qua reſpiratio nequit exerceri, vulnus tenerum irritando, ad inflammationem hu-

juſmodi

jusmodi movendam plurimum manifeste conferre, tecum reputaveris. Si post majoris vasis, inquit Swietenius, rupturam valida fuerit haemoptoe, quandoque contingit ut illud vulnus non consolidetur, nisi levi suppuratione praegressa, uti in aliis vulneribus externis videmus contingere, in quibus sub bono pure labia vulneris uniuntur, et perdita recrescunt. Idem post haemoptoen quandoque accidit; verum tunc parca copia sputi purulenti prodit, per paucos dies tantum, et brevi minuuntur haec sputa, cessantque integre, postquam vulnus est consolidatum. Si vero haec suppuratio diu maneat, et sputorum copia augeatur potius quotidie, tunc non est signum levis suppurationis quae consolidando vulneri inservit, &c.

Talem conditionem suppuratoriam, qualem modo comprehendi, facilius incidere credo, quod pulmones ante vasis rupturam ad inflammationem sponte sua inclinant; namque haemoptysis, annum aetatis decimum sextum inter et trigesimum sextum,

quo

quo tempore universum systema maxime plenum sit, invadere, uti omnes norunt, periclitatur. Caeterum, quanquam vasis rupti inflammatio non ita, ut suppurationem faciat, concitetur; margines tamen vulneris ipsius callosos reddendo sanationem ejus impedire, vel latius diffusa partes vicinas duras efficere, hocque tuberculorum fundamentum jacere potest. Etenim ab haemoptysi multos per annos immunes in phthisin pulmonalem frequenter incidere, compertum habemus. Ea haemoptysis vero, quae in phthisin plerumque desinit, a labe naturali congenitaque, aeque ac phthisis ipsa, oriri videtur. Cullenus illustris haemoptysin nonnullis in exemplis ab universa corporis plenitudine, sed saepius a ratione, quae inter pulmonum reliquique corporis amplitudinem intercedit, vitiosa, proficisci affirmat. Hi igitur huic morbo in primis opportuni sunt, quibus formae graciles, quibus scapulae prominent, quibus thoraces coarctantur. Haec habitum phthisicum haud dubie designant, et in causa sunt, cur haemoptoen nunquam sponte oriri, praeterquam in

iis, quorum pulmones ad phthifin eodem tempore propendent, opiner. Mihi perfuafum eft, tubercula pulmonibus eorum, qui phthifi, ob vitium hereditarium corporifve deformitatem, pulmonali conflictantur, nunquam deeffe. Quocirca credibile eft, *fpontaneam* haemoptyfin per tubercula moveri, quod cur haemoptoe hujufmodi faepius, quam caufis fortuitis, quales funt corporis concuffio et exercitatio nimis violenta, excitata, phthifi finiatur, exponit.

Aliquando vero acrimonia fola, ut fyphilitica, fcrophulofa, et fcorbutica, vafa pulmonum forfitan erodendo, haemoptyfin, tandemque phthifin, valet progenerare. Phthifeos ab hoc fonte profluentis curatio difficilior. Si enim, ut Swietenius ait, difficilis eft confolidatio rupti vafis in pulmone per caufam violentam, et faepe inde fequitur ulcus pulmonis, quanto magis hoc metuendum erit, ubi vaforum erofio non vulnus fecit, fed ulcus?

Pneumonia.—Cum pleurae inflammatio aliquamdiu manfit, pus plerumque generatur,

tur, quod vel in cavum thoracis vel pulmonum viam ſibi patefacit. Si pus acrimoniae expers in pulmones, qui ad phthiſin non ſunt proclives, ingrediatur, extuſſiri, nullo morbo ſubſequente, poteſt. Cum pneumonia ſit morbus, cui robuſti ſaepe patent, hoc modo ſalutari nonnunquam finitur. Si exitus hujuſmodi ſit futurus, ſigna morbi ſputum ſemper levabit. In pulmonis morbo, inquit Celſus, ſi ſputo ipſo levatur dolor, quamvis id purulentum eſt; tamen, ſi aeger facile ſpirat, facile excreat, morbum ipſum non difficulter fert, poteſt ei ſecunda valetudo contingere. Quinetiam Boerhaavius eadem ſuper re quod ſequitur profert: 'Phthiſis in qua ſubito rumpitur vomica, expuitur pus album, coctum, aequale, facile, reſpondens copia ulceri, ſine ſiti, cum appetitu, digeſtione, ſecretione, excretione bona, difficulter quidem, tamen ſanari poteſt.'

Si vero pus in pneumonia generatum in ſacco proprio cavove thoracis diu maneat, poteſtatem plerumque, dotibus ejus mitibus

ex toto mutatis, erodendi ſibi acquirit. Pulmones igitur tandem affici poſſunt, et inveterata et inſanabilis phthiſis in iis, qui ante ex toto ſani validique fuerunt, excitari. Quocirca in valentioribus vis abſceſſus pneumonici corrodens ſola metuenda. Pneumonia vero phthiſin ſaepius videtur movere, quam mortales ei opportunos efficere. Hanc ob cauſam, morbum in iis ſolis, qui, ad eum ſponte naturae ſunt proclives, facere ſolet.

Jam dixi, non ambigi poſſe, quin tubercula in pulmonibus eorum, qui ob labem hereditariam corpuſve deforme, phthiſi laborant, nunquam non adſint. Igitur, cum pleura praeſertim, arcte pulmonibus circumdata, in pneumonia inflammari periclitetur, ratio non deeſt, cur unum plurave horum tuberculorum in inflammationem quoque abire ponas. Quod ſi incidit, facile purulenta et ulceroſa evadere poſſunt.

Catarrhus.—Hic phthiſin admodum frequenter praecedit. Quapropter ſummam ad eam proclivitatem dare vulgo fuit exiſtimatus. Eum vero phthiſin tantum excitare

citare opinor. Si enim tubercula ſubſint, tuſſis catarrhi propria, agitando pulmones, ea valet inflammare, et tandem purulenta efficere. Catarrhus graviſſimus, a frigore aliquo modo ad corpus applicato, ſemper proficiſcitur, quod quoque plerumque eſt pneumoniae cauſa. Igitur admodum probabile graviorem catarrhum plus minuſve pneumonicae inflammationis ſibi adjunctum ſemper habere, quae, ut ſupra fuit comprehenſum, ad phthiſin movendam non parum confert. Si catarrhus igitur unquam revera phthiſeos fundamenta jaciat, *i. e.* ſi unquam pro ſeminio haberi debeat, creandis tuberculis ita facere judico. Caeterum phthiſin, praeterquam in iis qui ad eam ſunt proni, rariſſime facit. Frequens diſtillatio, inquit Celſus, in corpore tenui longoque, tabem timendam eſſe teſtatur.

Licet catarrhus, ut homines tabi pateant forſitan non faciat, cauſam tamen excitantem eſſe, ſcire non incommodo eſt; hoc enim adducti catarrho etiam leviſſimo in

iis,

iis, quibus ſeminium ineſſe ſuſpicemur, mederi pro virili conabimur.

Aſthma.—Hoc, cum phthiſin progenerat, ſpaſmodicum eſſe opinatur Cullenus. Credibile eſt, paroxyſmos aſthmatis ſpaſmodici reiteratos ad tabem faciendam nonnihil poſſe conferre, quod, pulmonibus frequenter conſtrictis, vaſa eorum ſanguifera minima impervia reddi, et tubercula inde oriri periclitantur. Aſthma nonnunquam igitur phthiſeos ſeminium praebet; eam vero forſitan ſaepius excitat.

Exanthemata.—Ex omnibus hiſce, rubeola phthiſin ſaepiſſime facit. Utrum vero hoc in ullis, praeterquam in iis quibus inſit ſeminium, necne praeſtet, parum certum eſſe videtur. His autem phthiſin tubercula inflammando inferre videtur rubeola; affectu enim catarrhali et phlogiſtica diatheſi inſignibus ſtipatur. Idcirco, in morem cauſae excitantis agit, et forſitan quoque repulſa per acrimoniam tubercula gignit, et ita ſeminium morbo ſuppeditat. Cullenus celeberrimus, morbi phaenomenis ca-

daverumque

daverumque incifionibus attente confideratis, non improbabile effe confitetur, omnia exanthemata phthifin, materiam, quae primum omnium tubercula creat, praebendo, movere.

Scrophula.—Ex univerfis caufis remotis, haec forfitan maxime communis. Temperamenta fcrophulofum et phthificum propemodum idem effe videntur. Namque olim multae occafiones cadavera eorum, qui phthifi fuerant mortui, incidendi, mihi fubminiftratae funt, in quibus omnibus non tantum pulmonum tubercula et ulcera, fed nonnullas quoque e glandulis lymphaticis vel mefentericis, morbidas offendi. Igitur non deeffe videtur unde debeat cogi, materiam fcrophulofam pulmones afficere, et tubercula in iis faciendo feminium phthifeos poffe dare.

Metaftafis puris.—Quod pus in aliquam corporis partem fuit inclufum, id nonnunquam ad aliam poteft transferri. Cullenus fatetur, pus vomicae alium ad locum devehi poffe ; eodem tempore notans, non pauca memoriae

memoriae exempla esse tradita, ubi pus ad oculos translatum, vel absorptum et una cum stercore et urina evacuatum. Memet puris translationem saepius semel vidisse existimo. Etenim quosdam, qui fistula ani laboraverant, et incisionem chururgicam, quae in auxilium ejus mali saepe prompta est, subierant, quanquam vulnus ex toto fuit sanatum, et ipsi ne minima quidem ex parte ad phthisin pulmonalem proclives esse, sunt visi, tussi et febri hectica spatio brevi correptos, phthisique extinctos, esse notavi. Eventus autem hujusmodi nequit exponi, nisi puris fistulae particulas absorptas, et ad pulmones devectas fuisse, ponere liceat.

Omnes fere causas, quas enumeraverim, vim excitantem habere, et inflammationem tuberculis inferendo, ea in abscessus vel ulcera vertere opinor. Conditio autem pulmonum hujusmodi causam phthiseos proximam frequentissimam constituit. Nulla igitur est hujus morbi, a nosologis tradita, definitio, quae magis simplex aut idonea quam Culleniana videtur. ‘ Corporis ema-
‘ ciatio

ciatio et debilitas; cum tuſſi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta.'

Proximum eſt ut hiſtoriam phthiſeos quam pauciſſimis abſolvam.

PROGRESSUS MORBI.

Hunc autem tria in ſtadia dividere non alienum eſſe videtur.

I. Hoc *ſpatium inflammationis* comprehendit.

Signa ſub initium phthiſeos adeo lenia ſunt, praeſertim ſi catarrhus adſit, ut phthiſici ipſi, quonam morbo laborent, ſaepe ignorent. Caeterum eos tandem, praeſertim noctu, exercere incipit ſicca vel humida tuſſis. Ictus arteriarum numeroſiores et duriores evadunt, et dolores thoracem quaſi lancinantes invadunt, qui altero latere nonnunquam ex toto circumſcribuntur, adeo ut in id decumbere nequeant aegroti. In

plantis volisque calor sentitur. Ægrotantes vexant spiritus difficilis, sitis, alvus dura.

II. Hoc *debilitatis spatium* continet.

Hoc tempore pulsus arteriarum celeres et debiles, cum auctu caloris sub meridiem, febris hecticae exacerbationem designant, quae vespere repetens et per noctem urgens, summo mane, sudore oborto, decedit. Quod urinae excernitur, id colorem magis, quam ante, rubrum habet; quod extussitur, purulentum; anima foetet; corpus marcessit; vires convelluntur.

III. Hoc *putredinis colliquefacientis spatium* comprehendit.

Sudores nunc magis frequentes et liberales evadunt. Oculi concavi fiunt, vel in orbitas suas quasi semet retrahunt; tunica adnata albedinem, margaritarum propriae non absimilem, ostendit. Nasum acutum redditur; juventa fugit; et, si duo exigua genarum summarum spatia excipias,

————————verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida. Hor. *Epod.*

Pili

Pili tandem fluunt, ungues incurvantur, alvus ſolvitur, crura tument, aphthae ſemet diffundunt, et denique, ſputo imminuto, dejectio frequens et foetida mortem accelerat.

Quanquam ſigna varia, quae ſtadiis diverſis comprehenduntur, gradus tantum ejuſdem morbi diverſos exiſtimantur deſignare; primi tamen ſtadii propria phthiſin ſtricte dictam adeſſe minime indicant. Morbus igitur, quem phthiſin accurate loquens appelles, revera non adeſt, vel rem ita ſe habere, donec ſtadium acceſſerit ſecundum, pro certo ſtatuere nequis.

Puris e pulmonibus exſcreatio phthiſin adeſſe demonſtrare putatur. Viſcidum mucum vero a pure, ut bene notavit Sydenhamius, primo intuitu ſecernere minime facile. Pus, auctoris modo poſiti judicio, in ignem conjectum foedum emittit odorem, et in aquam immiſſum fundum petit. Hoc pus inter et mucum diſcrimen Celſi verba videntur firmare. ‘ Quicquid, nempe, in phthiſi vera, exſcreatum eſt, ſi in

in ignem impoſitum eſt, mali odoris eſt. Itaque, qui de morbo dubitant, hac nota utuntur.' Hoc vero difficultatem minime tollit; odor enim puris et muci ardentium vix ullo modo pro certo poteſt dignoſci. Huic obſcuro lucem offundendi ſtudio adductus, juvenis ingenioſus Carolus Darwin quaedam experimenta, prioribus forſitan certiora, inſtituit, quae lectores, ſi plura ſuper hac re velint cognoſcere, debent adire.

Caeterum, ex omnibus ſignis in ſtadio ſecundo commemoratis, certiſſimum, me judice, phthiſeos indicium eſt *febris hectica;* quoniam totum per decurſum pure nonnunquam caruiſſe narratur phthiſis. 'Pus in pleriſque, inquit Morgagnius, nec raro, ea copia fuiſſe invenies, ut pulmonem repleret, et infarciret: Contra, in quibuſdam, vix puris veſtigium; imo in quamplurimis, a quodam chururgo diſſectis, ut in Sepulchreto legeris, nihil.'

Utcunque vero haec res ſeſe habeat, medici prudentis erit ſigna primi ſtadii pro phthiſicis,

phthiſicis, *i. e.* ſtadii alterius propria facere valentibus habere, quod majoris momenti eſt ſcire ſtatum pulmonum inflammatorium phthiſin eſſe facturum, quam conditionem eorundem purulentam morbum revera conſtituere. Remedia igitur ſtadium per primum ſunt potiſſimum adhibenda, et ſi naturae cauſae remotae debent accommodari, hoc tempore ſolo proderunt. Namque, phthiſi inveterata, ratio medendi, a quacunque cauſa remota morbus fuerit profectus, erit magna ex parte eadem. In primo morbi ſtadio, vel pulmones ipſi eorumve membranae inflammantur. Rebus ita ſe habentibus, ſi morbus a cauſa ſingulari, viro nempe venereo, oriatur, ad mercurium; ſin aliter, ad viam curandi antiphlogiſticam, confugi debet. In hanc praeſertim oportet procedatur, quod nulla remedia ſpecifica, quae inflammationem ab acrimonia ortam, ſi eam quam virus venereum faciat excipias, pro certo depellere poſſunt, adhuc innotuerunt.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Consilium autem medendi praecipuum, *stadio primo* substante, est diathesin phlogisticam omni ratione removeri conari.

Huic accommodantur sequentia.--Æger diaeta e vegetabilibus et lacte constante utatur, liquores fermentatos refugiat, aquam bibat. Fructus subacidos, praesertim aurantios, liberaliter assumat. *Melonem*, ob vim refrigerantem, multo cum commodo praecepi. Mihi quidem potestatem fructuum refrigerantem potius, quam antisepticam, phthisi incipiente laborantibus prodesse, est persuasum. Insuper, fructus vi laxante alvum astrictam, quae aegrotum exercet, et ad inflammationem systematis augendam vel sustinendam non parum confert, solvendo hoc morbi tempore juvant. Si desunt, in eorum locum substituantur laxantia leniora.

Ex remediis optimum esse videtur sanguinis detractio; sed modica sit et saepe reiteretur.

retur. Omnes ſales medii refrigerant; et igitur ad impetum ſanguinis imminuendum, et ad curſum humorum ſuperficiem verſus faciendum, accommodantur.

Refrigerantia progreſſum incipientis phthiſeos retardare exiſtimans, effectus *florum lactis glacie congelatorum* periculum facere decrevi. Virgo autem generoſa, quacum familiaritas mihi interceſſit, remedium, ejus ſponte ſua cupida, liberaliter ſumpſit, phthiſi primi ſtadii laborans, et, nullius monitu, ad id praeſertim decucurrit, quoties ei moleſtiae fuerunt calor, ſitis, tuſſis, dyſpnoea. Hoc modo haec ſigna conſtanter depellere ſolita eſt, et in praeſentia, valetudine commodiſſima fruitur.

Potionem admodum frigidam inflammatione cujuſlibet viſcerum laborantibus noxae eſſe, plerique notarunt. Caeterum, effectus frigoris parum certos eſſe, experientia demonſtrat, et exemplum modo memoratum axiomati generali plane adverſatur. Remedium igitur non indignum eſt, cujus plura facias pericula. In hanc vero celebris

bris Morgagnii ſententiam lubens concedo. ‘ Ut in caeteris morbis, ita in hoc quoque, non omnia omnibus auxilia proſunt.’ In obſervationibus clari Mutzel, medici Berolinenſis, adoleſcentulam phthiſi incipiente cucumeribus, pane, frigidaque victitando, liberatam eſſe narratur. Huic alimento vis refrigerans haud dubie ineſt, quae antiphlogiſtica appellari bene meretur.

Opium tuſſis levandae, evacuationibus idoneis prius adhibitis, caute dari poteſt, quanquam inflammationem augendo laedere exiſtimatur. Pulmones enim, meo judicio, magis tuſſiendo, quam opio, irritantur et inflammantur. Sedulo conandum eſt, inquit Sydenhamius, poſt evacuationes, ut tuſſis ſedetur, ne pulmones jugi agitatione infirmiores evadant. Proinde hic medicus celeberrimus ſyrupum de meconio, quod ei in primis videtur placuiſſe, adhibere conſuevit.

Si tuſſis non admodum graviter urgeat, medicamentum, quod ſubſequitur, prodeſſe ſemper compertus ſum.

℞ Mucilaginis

℞ Mucilaginis Sem. Cydon. modice ſpiſſae, uncias ſeptem,
Syrupi de moris unciam unam,
Elixir vitrioli acidi drachmam unam,
Tincturae thebaicae guttas viginti.

Fiat miſtura, cujus cochleare plenum ſaepiſſime, potiſſimum urgente tuſſi, delingatur.

Epiſpaſtica thoraci admota, perpetua reddita, et fonticuli, molem humorum gradatim imminuendo, in morbum poſſe exiſtimantur. Antiquiores in hanc ſententiam iverunt. Exulcerandus eſt, ait Celſus, ferro candenti, uno loco ſub mento, altero in gutture, duobus ad mammam utramque; item ſub imis oſſibus ſcapularum, quas ωμοπλατας Graeci vocant, ſic, ne ſaneſcere ulcera ſinamus, niſi tuſſi ſinita.

Utrum emetica hoc morbi ſtadio dari necne debeant, ambigi poteſt. Ea vero Mortonus, cujus verba ſequuntur, laudibus effert. ' Hoc ritu non tantum plurimos empiricos vidi, cum ſucceſſu felici ſeſe omnem incipientem phthiſin curaturos gloriari, verum etiam ego ipſe ratione et expe-

rientia fretus, ſaepiſſime phthiſeos incipientis progreſſum, eodem modo, brevi temporis ſpatio, praepedivi. Iſta vomitio tertio vel quarto quoque die, ad tres vel quatuor vices, repeti poſſit.' Si remedia hujuſmodi hoc morbi tempore unquam ſunt utilia, hoc, me judice, curſum humorum ad ſuperficiem faciendo praeſtant. Hinc in peripneumonia nuper praecepta ſunt; cum vero ad ea nec in eo morbo, nec in primo phthiſeos ſtadio, decurrere auſus ſim, virtutes eorum ſilentio praeteream oportet. Si vero ſub initium phthiſeos adhibentur, nauſeam tantum, non plenam vomitionem, moveant. Impetus humorum ſuperficiem verſus facti commodum firmat omnium medicorum experientia. Nonnulli etiam ad balneum calidum confugiunt. Se hoc non ſine fructu uſum eſſe, affirmat Foart Simmons. Ter quaterque, judicio Celſi, die vehementer extremae partes perfricandae ſunt: Interpoſitis denis diebus, demittendus aeger in ſolium eſt, in quo ſit aqua calida et oleum.

Vehiculo

Vehiculo vel navicula geſtentur aegroti, equitatione modica utantur, loca mutent, et potentiae aëris nimis frigidi, induſia lanea gerendo, obſiſtant. Refert eorum vocem non nimis tollere, et omnes animi affectus vehementiores vitare. A negotiis, inquit Celſus, abſtineant, omnibuſque rebus quae ſolicitare animum poſſunt.

Licet vero morbo occurrere medicus pro virili contendat, tubercula ſaepiſſime purulenta evadunt, et phthiſis ſtricte dicta excitatur.

Conſilium medendi, *ſtadio ſecundo*, quod ſpatium debilitatis comprehendit, *ſubſtante*, eſt diatheſi phlogiſticae etiamnum occurrere, et vires quoque ſyſtematis ſuſtinere.

Quanquam ſyſtema pulmonum exulceratione morbique progreſſu magis debile nunc redditum eſt; aliqua tamen ex parte eidem curandi viae ſupra comprehenſae inſiſtere debemus. Quod, quamvis alia tubercula purulenta evaſerunt, alia tamen forſitan tantum inflammantur, quae, ſi in

uſu

ufu remediorum antiphlogifticorum perftatur, purulenta fieri prohiberi poffunt. Quo magis enim, ut opinor, puris formationem impedire, eo magis gravitatem morbi et magnitudinem minuere valebimus. Haec medendi ratio admodum conveniet, fi inflammatio phthificorum concitatior ad fanationem ulcerum, uti Cullenus judicat, retardandam plurimum conferat.

Quanquam vero ratio antiphlogiftica ex parte idonea effe poteft; diaeta tamen plenior, quam per ftadium fuperius, aegrotis nunc magnopere debilitatis, haud dubie adhibenda. Mulier loco honefto nata, quae ex altero phthifeos ftadio convaluerat, mihi narravit medicum Briftolienfem ei carnem bubulam fine condimentis toftam unoquoque mane pro jentaculo praecepiffe. Quinetiam Foart Simmons affirmat, quemlibet cibum animalem levem, etiam fub initia morbi, modice fumptum, et diaetae lacteae vegetabilique adjunctum, magis prodeffe, quam eodem ex toto abftinere. Per primum vero morbi ftadium, figna inflammationis

tionis eo plerumque augeri; ſed ab uſu ejus per alterum modico nihil noxae unquam oriri notavi. Quocirca hoc in ſtadio, praeſertim finem ejus verſus, quodlibet alimenti genus, aegroto gratum et modice ſumptum, ſi non turbet ventriculum, tuto poteſt concedi. Namque, cum corpus hoc tempore conſtanter rapideque debilitetur et conſumatur, conſtanter et pro rata parte nutriatur omnino neceſſe eſt. His modo poſitis omnino reſpondent verba Lucretii ſequentia.

Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo quod capias concoctum didere poſſis
Artubus, et ſtomachi humectum ſervare tenorem.

In ſententiam medici Briſtolienſis ſupra dicti non ire non poſſum, cibum animalem mane ſemper aſſumi debere, quod eo tempore febris hectica plerumque abeſt.

Hoc morbi tempore, ſi modo fieri poſſet, pus, quod ulceribus apertis, iiſve, quae nondum ſunt rupta, tuberculis continetur, emendare et corrigere in primis utile foret.

Caeterum

Caeterum magnopere dolendum eſt, quod nulla antidotus adverſus hanc animalis veneni ſpeciem efficax adhuc reperta eſt, mortalibus omni ſeculo tantopere exoptata; tali enim ſola forſitan phthiſis, quae tot hominum millia crudelis rapit, pro certo tolli et extingui poteſt. Ea eſt puris abſceſſus phthiſici natura venenoſa et acris, ut cauſa irritationis univerſae potens eſſe videatur. Hanc ob rationem, quaedam febris hecticae, ut compertum habetur, ſigna leviora, antequam pus expui incipit, id eſt, dum adhuc ſacco proprio, rupturae experte, continetur, ſemet oſtendunt. Hinc concludam neceſſe eſt, hanc febris ſpeciem a debilis ſyſtematis irritatione proficiſci, et, licet haec conditionis pulmonum morbidae tantum nota ſit, ſummam tamen noſtram attentionem deſiderare. Haec febris etenim, diu manendo, ad vitam perdendam per ſemet ſufficeret; et quidem mihi perſuaſum eſt, effectus ejus potius, quam tabem pulmoneam, aegrotum extinguere. Ut phthiſis, inquit Junckerus, non accelerat mortem, ſed febris hectica,

phthiſi

phthiſi ſuperveniens ; ſic, quo frequentius hecticae exacerbationes recurrunt, eo celerius aeger opprimitur ; et quo magis phthiſis ſine febre hectica ſibi quaſi ſola conſtat, eo diutius patiens vivere poteſt. Cum igitur non opis ſit noſtrae pus abſceſſus ulcerisve phthiſici corrigere, quantum in nobis eſt conandum effectus irritationis, febrem nempe hecticam, ejuſque ſequelas, praecavere vel imminuere.

1. Effectibus irritationis *pulmones ipſos levando* obſiſti poteſt.

Hoc conſilio igitur pus, quod jam collectum eſt, cum primum evacuare conandum eſt. Hac ratione pus, quod alioquin abſorberetur, expelletur, et pulmonum, totius forſitan ſyſtematis, irritatio ſaltem imminuetur. *Emetica*, utpote quae bronchia detergeant, curſumque humorum ad vaſa externa faciant, huic conſilio optime accommodari videntur. Hoc modo non tantum ulceris virus, ſed congeſtio quoque in pulmonibus facta imminui poteſt. Dr Foart Simmons memoriae prodit, ſe effectus horum

rum remediorum bonos eſſe expertum, etiam tuſſi, pure extuſſito, caloribus, appetitu proſtrato, et quibuſdam aliis ſignis exitum funeſtum praeſagientibus. Uſu eorum mala aliorum multum levata, aliorum ex toto depulſa. Gilchriſtius celebris commodum, quod phthiſici a navigatione deducunt, nauſeae quam excitat tribuit. Dum pus, quod in pulmonibus coiit, minuimus, tuſſim quoque, quae alia irritationis loco propriae cauſa eſt, levamus. Igitur bis ſingulis hebdomadis vomitionem radice ipecacuanhae vitriolove albo excitare conveniet. Nonnulli ulcera pulmonum balſamis, velut Peruviano, Tolutano, copaiba, et gummi myrrha, vel nitro admiſta, vel omnis miſturae experte, detergere conati ſunt. Tempore Sydenhamiano, ad ulcera curanda plerique medicorum animum adjunxerunt, et huic conſilio inſervire exiſtimabatur terebinthina et opobalſamum. Quinetiam Celſus decocto marrubii, reſinae terebinthinae pars dimidia, butyri et mellis partes duae, addantur ſuadet. Caeterum phthiſici his

remediis

remediis calefacientibus ſaepe laeduntur. Igitur vapores calidae inſpirando pulmones levare praeſtat. Hiſce vaporibus utantur aegroti horis dierum, quibus emetica non capiunt, matutinis, ſed nec in lecto, nec in cubiculo nimis arcto et calido, ne ſudatione, quae oriri periclitatur, infirmiores reddantur. His forſitan propoſitis, ſimilibuſque, pulmonibus ipſis ſuccurrere valebimus.

2. Effectibus irritationis *per medicamenta, quae in ſyſtema univerſum* agunt, occurri poteſt.

Huic conſilio plurimum accommodantur remedia, quae vires ſyſtematis, quae nunc rapide labuntur, renovant et corroborant. Namque, quo magis debile, eo magis irritabile eſt ſyſtema. Cortex Peruvianus, qui multis in morbis vigorem corpori reſtituit, hoc phthiſeos tempore dicitur nocere. Nonnihil vero prodeſſe matutinos ſudores inter et meridianam febris hecticae exacerbationem datum exiſtimo. Spiritus vitrioli acidumve elixir, utpote quod ventriculo to-

num comparet, ſi liberaliter ſumi poteſt, ſyſtema totum juvat.

Ex univerſis vero medicamentis, quae ſyſtema minus irritabile reddunt, *opium* eſt potentiſſimum. Spaſmos, dolores, tuſſim phthiſicam, et multa alia ſigna, quae nonnullos morbos comitantur, plane ſedat. Igitur non alienum eſſe videtur exacerbationem febris hecticae eo minuere conari. Huic medendi viae objici poteſt, quod phlogiſticam diatheſin et ſudores augere periclitatur. Caeterum, nec diatheſin phlogiſticam, nec ſudores, eo adhibito, ingraveſcere notavi, idonea regularum in primo morbi ſtadio, ſubque hujus initia, propoſitarum ratione habita. Si diatheſis phlogiſtica concitatior, et ſudores magis liberales evadant, hoc non aeque uſui opii, ac progreſſui morbi inſanabilis ſpontaneo, tribuendum exiſtimo. Igitur, cum mecum quam ancipitia alia medicamenta, quamque fallacia alia forent, ſaepe ſerio reputaviſſem, ſyſtema minus irritabile opio efficere tandem conatus ſum. Medicamentum autem ſequens, omni

veſpere,

vefpere, horam ante reditum exacerbationis hecticae fumendum, et fub mediam noctem repetendum, praecepi.

℞ Gummi Arabici pulveris,
Sacchari puriffimi āā drachmam unam,
His bene folutis, ex aquae purae fefcuntia, adde
Tincturae thebaicae guttas triginta,
Elixir vitrioli acidi guttas viginti,
Ut fiat hauftus. Opium pro re nata adaugeatur.

Hoc remedium a duobus ftadio phthifeos fecundo laborantibus conftanter, et cum profpero fucceffu, fuit adhibitum. Cubicula quidem praeter confuetudinem refrigerata, aegroti leviter operti, et cum primum fudores accedere coeperunt, furgere juffi. In aliquot hebdomadas, tuffis fuit minus molefta, exacerbationes febris hecticae minus evidentes, fudores minus copiofi. Spes fumma falutis affulfit. Brevi vero omnia in pejus ruerunt. Morbus prius gravior, deinde graviffimus factus, et aegroti denique rapti.

Operae pretium hoc in loco videtur notare, utrumque aegrotum phthifi a labe haereditaria

reditaria proficiſcente laboraviſſe. Cum vero ad alterum hujus morbi ſtadium ventum eſt, medicina nihil aliud, me judice, valet, quam ſignorum gravitatem nonnunquam levare, et vitam producere. Si vero mens humana, ut quibuſdam philoſophis placet, magis magiſque excoli conſtanter pergat, aliquis forſitan reliquis mortalibus fortunatior remedium in auxilium hujus et omnis alius phthiſeos ſpeciei promptiſſimum tandem reperiet.

Nihil tam difficile, quin quaerendo inveſtigari poſſit.
TERENT. *Heaut.*

Tres anni aut circiter ſunt elapſi, ex quo opii feci periculum. Nuper vero ſententia, in quam ſuper efficacia, qua hecticam irritationem compeſcit, iveram, multum firmata eſt. Mulier enim generoſa, cum qua amice familiariterque vivo, habitu phthiſicoy debilitate permagna laboravit, et quanquam tuſſis non multum moleſtiae ei faceſſivit, ſpiritus difficilis fuit, et tantum ſingulis

ſis noctibus ſudavit, ut ſtragula permadere conſueverint, ſudatione et diarrhoea nonnunquam alternantibus. Cum in ſomnum incidere non poſſet, vir illuſtris Dr Stuartus Threipland opii extractum ei praeſcripſit, quod, licet non multum ſomni ei comparaverit, praeter ſpem tamen vel ſudores ex toto ſuſtulit, vel ſaltem imminuit. Opio omiſſo, ſudores pro certo repetiverunt. Dum haec ſcribuntur, id ut remedium, quod unicum vitae ſuae ſolatium eſt, laudibus effert.

Quod virtutem modo comprehenſam opio ineſſe ſatis evidenter demonſtrat, id eſt, utilitas ejus in morbis exanthematicis inſignis, ubi ad irritationem, quae in ſyſtemate tantopere invaleſcit, imminuendam plurimum confert. Exemplum hujus in variola, rubeola, &c. habemus. De eo modum in ſequentem diſſerit Cullenus eruditus: ' I think, further, that, in all the exanthemata, there is an acrimony diffuſed over the ſyſtem, which gives a conſiderable irritation; and for obviating the effects

effects of this, opiates are useful, and always proper, when no particular contra-indication prevails *.'

Nullae aliae opium tentandi occasiones adhuc mihi sunt subministratae. Cum vero in tempus, in casibus supra positis, manifeste profuerit, plura ejus pericula in posterum facere decrevi.

Insuper, forsitan a nonnullis usum opii sputum supprimendo consilio, quod pulmones ipsi leventur suadet, supra proposito adversari contendetur. Opium vero, Culleno teste, sputum non diu impedit, quod somnum post arctum facilius efficitur. Idem sentit Swietenius: 'Metuunt quidam, inquit, ne sputa supprimantur ab opiatis, et sic pulmo infarciatur magis; verum bona fide asserere possum, quod post pacatum somnum semper viderim in phthisicis faciliorem expectorationem, matutinis horis, et quidem puris omni dote boni.'

Consilium,

* First Lines of the Practice of Physic.

Consilium, *terio stadio substante*, est proclivitati ad putredinem omni ratione occurrere.

Cum morbus ad ultimum suum stadium pervenit, vires systemati debilitato reddere quam maxime conandum. Hoc consilio, is cibus, qui plurimum alimenti praebet, adhibendus, et, quolibet languore singulari urgente, optimum vinum, et denique, quicquid aegrotus exoptat, id hoc morbi tempore dare licet. Quam maxime liberaliter cortex Peruvianus debet assumi: 'Hujus efficaciam, inquit Mortonus, frequenter et debitis intervallis repetiti, ad supprimendos paroxysmos febriles, saltem pro tempore, saepissime cum successu felici expertus sum; adeo ut aliquorum phthisicorum, pro deploratis jam habitorum, vitam frequente ejus usu non tantum per plures menses, verum etiam annos, protractam esse viderim.' Diarrhoea coercenda est, quod opium efficacissime praestat. Quare medicamenta opiata, judicio auctoris modo dicti, non tantum frequenter, verum etiam liberali manu, exhibenda.

Opio

Opio adjungi possunt alia adstringentia gummique Arabicum solutum. Fructus subacidi liberaliter sumpti vi sua antiseptica forsitan juvabunt. In alvum immitti possunt enemata, praesertim ex amylo confecta, et aër fixus, qui in diarrhoeis febrium putridis dicitur prodesse. Cum hic in cancris et ulceribus phagedenicis utilis fuerit repertus, inhalatus pulmonibus ipsis forsitan succurret. Percivallius refert, triginta et plures ultimo phthiseos stadio laborantes eo hunc in modum esse usos, febrim hecticam compluribus non parum imminutam, et sputum minus foetidum meliusque concoctum evasisse. Dr Withering quoque testatur, unum phthisicum, hoc aëre inspirato, ex toto convaluisse, alterum se melius habuisse, et tertium, qui pro deplorato habitus est, vivum ultra duos menses esse conservatum.

Quidam olim phthisin pulmonalem pro morbo contagioso habuerunt, et hodie, etiam, ut celebris Howardus refert, medici Italici rem ita sese habere credunt. Igitur in nosocomiis suis hoc morbo laborantibus

cubicula

cubicula a reliquis disjuncta tribuunt, et ad eos non minus caute, quam ad peste conflictantes, accedunt. Cum in privatis familiis semet ostendit, pars domus unaquaeque pura reddatur et fumigetur, et supellex universa removeatur suadent *.

Mihi non improbabile videtur effluvia putrida, quae ab aegrotis oriuntur, morbum in iis, qui ad eum sponte naturae proclives sunt, movere, vel in morem causae excitantis agere posse, sed alios afficere nequire. In sententiam vero contrariam ivit Swietenius, qui ait, ‘ Metus est, ne contagio in sanos propagetur morbus.’ Quinetiam Galenus affirmavit, periculum esse consuescere his, qui tabe tenentur, atque in totum cum omnibus, qui putridum adeo expirant, ut domicilia, in quibus decumbunt, graviter oleant.

Ex supra traditis in hunc morbum, cum secundum attigit stadium, medicinam parum posse abunde constat. Igitur ei incipienti occurrere pro virili conandum.

F Inflam-

* Howard on the State of Prisons, &c.

Inflammatio cum phthisin excitet, ea quae illam movent vitare forsitan unicum est, quod morbo venienti potest obsistere. Omnes igitur caveant, ne vocem cantando, publicas orationes habendo, vel fistulas, tubas, aliaque instrumenta musica similia, inflando, nimis contendant. Namque comoedos et cantatores, si minima quidem ex parte ad morbum fuerunt proni, phthisi extingui semper notavi. Igitur illi, qui phthisi patent, quanquam valetudine commoda fruuntur, regimen antiphlogisticum ad gradum certum usque, diaetam nempe plerumque e vegetabilibus, lacte, et fructibus constantem, debent adhibere; legibus certis obtemperent, superficiem corporis calidam teneant, et frigus hiemale regionem nostratem calidiore mutando vitent. Plagam Madeirensem, ubi coelum fere semper sudum et serenum est, laudibus effert Fothergillus; et memoriae prodit Gilchristus, phthisin raro in eos invadere, qui littora sicca et scopulosa tenent, sub aëre marino aetatem agunt, et testaceis victitant.

Caeterum,

Caeterum, ex alia in aliam regionem frequenter migrare, forſitan melius.

> Mutandus locus eſt, et diverſoria nota;
> Praeteragendus equus:————————
>
> Hor. *Epiſt.*

Hanc diſſertationem jam ad finem perduxi. Errores vero, quos anguſtiis temporis incluſus, multiſque aliis negotiis pernecessariis diſtrictus, parum cavi, mihi, uti ſpero, lector facilis candiduſque remittet.

F I N I S.